

THESES THEOLOGICÆ
DE
JUDICIO S. SCRIPTURÆ
DECISIVO
IN CONTROV. RELIGIONIS.

Quas

Σὺν τῷ πανσόφῳ.

SUB DUCTU

VIRI

MAXIME REVERENDI, DIGNISSIMI
DNI. CANCELLARII UNIVERS.

JOH. ADAMI OSIANDRI,
SS. Theol. D. ejusdemque Profess. Primarii
Famigeratissimi Præpositi Ecclesiæ
Meritissimi.

*Dni. Patroni & Hospitis omni Observantia cultu prosequendi,
ad Publicam συμβολὴν proponit*

RESPONSURUS AUTOR,

CONRAD HORLACHER,

In Aula Theologorum Nova,

Ad Dies 11. & 12. Junii.

TUBINGÆ,

Typis MARTINI ROMMELI.

Anno MDC LXXXVI.

Coll. diss. A
207, 7

Coll. Diss. 207 (7)

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Additional faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Σὺν Θεῷ.

THESIS I.



NE Andabatarum temeritatem imitari videar, sine ullis ambagibus evolvo statim in Limine Statum Controversiæ, quò magis enucleentur ea, quæ ad Judiciariæ Facultatis, prout S. Codici competit, essentiam spectant: Prænoto igitur dari varios Judices in foro Theologico: alius est subalternus, ministerialis, qualem esse Ecclesiam veram, novimus, alius est summus, independens, *αὐτοκράτορας*, talis est Sp. S. cujus respectu Scriptura S. secundariò, utpotè ejus vox, quâ loquitur, Judex vocatur: Nimirùm, quia in novissimis temporibus Deus locutus est per Filium. *Hebr. 1. vers. 1. & 2.* Sicque immediatæ Revelationes dogmaticæ cessarunt, S. Codici munus Judicis Controv. Fidei omninò transcribere defectus alius Verbi authenticæ, all. *Hebr. 1. vers. 1. & 2.* nobis firmissimè unà cum aliis arg. persuadet.

II.

Neque hîc talem intelligo Judicem, qualis est merè politicus, sic enim Normæ vices infimul tueri nequiret, quod tamen de nostro Judice Controv. asseritur, hinc Judex Dogmaticus appellatur: Nec de coactivo *ἐξώθεν* tali est sermo, sed de Convictivo *ἑσώθεν*, uti Sadducæorum Confutatio, quæ *Matth. 22.* recensetur, commonstrat, Hi enim, utut agnoverint in Conscientia, se tantum veritatis cœlestis robur elidere non posse, cùm Christus eos redargueret ex S. Codice, nihilominus publicâ confessione suum errorem deprecari & rejicere detrectabant: ut igitur h. in l. fundetur distinctio jam commemorata.

A 2

III. Cùm

III.

Cùm itaque S. Scriptura talis sit Judex, qualem superius descripsi, & unà ambiguitates remotæ fuerint; pergò ad Confirmationem Thematis. Primique argumenti loco *Deuteron. 4. v. 2.* profero, unde talis enascitur Syllogismus: Quicquid omnia additamenta, & quascunque diminutiones excludit, illud est Norma judiciaria, & quidem plenaria: Atqui V. D. Scriptum ità se habet. E. Majoris veritatem agnovit Chrysostronus Homil. 12. in *Epist. ad Philipp.* Canon, ait, neque additionem, neque detractionem recipit, alioqui definit esse Canon: similia habent Basil. M. L. 1. contra Eynomian. Aristot. 10. Metaph. c. 1. aliique. Sic ergò canonis Essentia in eo consistit: ut tantâ perfectione respectu illius, cujus Canon est, gaudeat, quæ additione & detractione non indiget. Minor constat ex *Deut. 4.* Hic autem disquiri solet, An præcisè loquatur de Verbo Dei Scripto, quod affirmatur, siquidem *Exod. 24. v. 3. 4.* apertè legitur, Mosen omnia Verba Domini descripsisse, cui concordat *Deut. 31. vers. 9. seqq.* Quod ulterius demonstratur, tum ex ipsius Legis omnimoda Propagatione, quæ hic Verbi nomine designatur; hanc enim jubet Moses, filios edoceri à Parentibus, quibus singulatim tribui nequit Cognitio Arcanæ Legis, ità, ut omnes eam sciverint, hinc evanescit Exceptio Pontif. à traditionibus desumpta, manet E. ratum, de Verbo Scripto ibidem agi; tum ex Partitione hujus Legis in Moralem, Ceremonialem, & Forensẽ, Ast hæ omnes Scriptæ extant; Quoad additamenta & detractiones, notandum est ea tantoperè vetari, ut qualiacunq̃ excludat, uti *Deut. 12. v. 32.* (*Quod tibi precipio hoc tantum facito*) suâ Exclusivâ manifestè testatur: Quapropter ea etiam, quæ bonæ intentionis prætextu superadduntur aut detrahuntur, Divinæ Voluntati contraria esse judicantur, non modò ob vim hujus Exclusivæ, sed etiam

Exem-

Exempla insigniter punitorum Transgressorum hujus mandati satis evidenter ostendunt: Ex quibus produco Filios Aaronis, ignem alienum offerentes *Lev. 10. v. 1. & 2.* qui certè non peccarunt contra explicitum Dei Mandatum, cum nullum datum fuerit, expressè exclusivum talis ignis: Sed id, quod eis præceptum non erat, in hoc divino Cultu fecerunt, obinde pœnam Mortis experti: Huc spectant Jeroboam *1. Reg. 12. v. 28.* & Gedeon. *Jud. 8. v. 27.* in quos ob simile delictum divinitus animadversum fuit pœnis. Tutius ideò est, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinare *Deut. 5. v. 32.* in Religionis Tramite; Semper atque unicè est attendenda Verbi Scripti, quod nobis Deus tantoperè commendavit, Cynosura

IV.

Secundum Fulcrum nostræ sententiæ substernitur ex *Esaia 8. vers. 19. & 20.* ubi habetur Divina Parænesis, à Propheta promulgata ad Israëlitici populi Correctionem, qui deviabat à vera Religionis Via, hinc verò attendenda sunt, ut sensus dicti Prophetici magis patefiat, tum Magnitudo pœnæ, quam infligendam comminatur Deus per Esaïam, alienam Normam quærentibus, & sic Scripturam sacram negligentibus, tum Remissio ad Legem & Testimonium, unde haurire jussi fuere genuina Oracula, hæc potissimum facta fuit ob Populi israëlitici Reductionem in Viam salutarem, atque rectam; intentio Prophetæ enim erat exorbitantes Judæos, & ad Pythonissarum superstitionem intentos in viam revocare: Scilicet, erant tum temporis erronei, tum in eo, quòd multum tribuerent, imò confiderent prædictionibus Pythonissarum fallacibus, tum in toto Cultu Divino: Id quod elucescit ex all. loci *v. 11. & 12.* imò toto Contextu, ac *Jerem. 31. v. 32.* siquidem inde elucidatur, quanam fuerit Defectio Judæorum tum temporis à Deo? Nempè Totalis erat: Quæ porro evincitur

ex Universalitate, tum Legis & Testimonii, ad quæ amandabantur, tanquam ad Tribunal, unde depromenda sit Discussio omnium dubiorum, illam autem affectatâ & malitiosâ contumacitate postponebant Pythonissarum Vaticiniis: Hinc dici nequit, quòd saltem in particulari aliquo casu culpentur, tum Vocum: quando quidè dictionem legis indeterminatè positam, sine ullo vestigio limitationis aut restrictionis ad certam causam, nec non quando vocabulo Testimonii jungitur, omnia Præcepta & Monita Legis Scriptæ designare: ex *Ierem. 44. v. 23.* & *Nehem. 9. v. 34.* planum est. Similiter Vocabulum Testimonii vocabulo Legis additum, aut solitariè positum aliam significationem induere, nempe, ut Vaticinia designet, nullibi legitur in S. Codice.

V.

Tertii Fundamenti loco producimus Exempla piorum Regum, qui juxtâ hanc Regulam, Cultum publicum, tam in Theoria, quàm in Praxi instituere decreverunt, & Excessûs vitiosos, quos commisit Populus Israëliticus circa Religionem, ad amussim S. Script. examinantes, Ecclesiam variè reformârunt, hallucinationes idololatricas exterminando, unde manifestum evadit Ecclesiam, cujus membra procul dubio erant isti Reges, ad S. Codicem fuisse adstrictam, & consecutivè, cum hac in Re nil mutatum fuerit à Deo, nostris Ecclesiis simile obsequium incumbit: Exempla suppeditant S. Literæ seqq. Rex Josias agmen ducat, ille examinavit Religionem ad Voluminis à Pontifice Helcia inventi Canonem *2. Reg. 22. v. 13.* nimirum ad Scripturam S., sentiens ad accuratum Scrutinium ejusdem Canonis in hujusmodi causis, eò magis se obstrictum, quò magis neglectûs V. D. scripti poenam in posteris Antecessorum, hanc Cynosuram contemnentium, ob simile delictum, emergentem exhorrescebat: Eundem Verbi di-

bi Divini ductum secutus fuit Rex Josaphat, de quo 2. *PARALIP.* c. 17. *vers.* 6. recensetur Zelus puritatem Cultus Divini restituendi, dum nempè **LUCOS** & excelsa de Juda abstulit, & Sacerdotes ad universam gregem suæ ditionis amandavit, quò ea ex Libro Legis addiscere possit Venerationem Dei debitam, unaque avertatur ab idololatria: Sic Ezechias, itidem unus ex iis, qui ad clavum Imperii Israëlitici sedebant, ideò bonum fecisse dicitur coràm Domino 2. *Reg.* 18. v. 3. quòd observaverit mandata, quæ præceperat Deus Mosi, uti *vers.* 6. legitur, ut igitur in hisce Proceribus præstitum fuerit illud monitum, quod inculcavit Moyses *Deuteronom.* 17. *vers.* 18. 19. 20. Si ergò Primoribus Regni incubuit officium, legem Dei scriptam integerrimè & omnimodè observandi, attendendi in omnibus Actionibus suis, & illis, ne minimum quidem addere aut detrahare licuit, qui aliàs LL. aliis superiores sunt, cur non ex eo colligeremus observationis Rigore Normativam Verb. D. scripti potestatem?

VI.

Hujusmodi Judicium pariter V. D. Scripto, assignat Psaltes Regius *Pf.* 19. v. 5. ubi Emphasis vocis **□** probè pensitanda est, quæ innuit Amussim, aut Regulam: Hoc verò dictum Davidicum accipit D. Gentium *Rom.* 10. v. 18. de doctrina Apostolica, quæ utiq; Scripto verbo V. T. ex asse erat conformis. *Act.* 26, 22. idq; facit non quidem exponendo in sensu accommodatio, sed Literali, aliàs vis demonstrativa, ipsi periret, ac adimeretur, cujus causa Paulus adduxit, & hoc ipsò Objectionem, quam forte de particularitate Prædicationis verbi, etsi immeritò ac ineptè, suo animo circumferebant Judæi, anticipavit. Cùm tamen l. cit. totus sit in confirmatione suorum Dogmatum. Quas alii movent lites de vocula ipsa, nullò labore tolli possunt, siquidem Masoretæ illam retinere, ut Notæ eorum testantur,

tur,

tur, qui tamen valdè perspicaces fuère in expungendis alienis aut supposititiis, multò magis in vocabulis ipsum textum corrumpentibus præcavendis, inter quæ à Pontificiis falsò refertur prædicta vocula: Pariter tricæ illæ, quas Adversarii effingunt ex substitutione Apostolica vocabuli $\Phi\theta\acute{\omicron}\gamma\gamma\textcircled{\text{c}}$ facilè expediuntur, cùm vicinæ sint illæ dictiones Hebraicæ, quæ Amussim, & quæ Sonum indicant; Quæ autem sunt subordinata, ea se invicem non tollunt, sed ponunt: Advertendum etiam est Apostolum versionem LXX. interpretum, utpotè tùm temporis receptissimam ab iis quibuscum agendum erat, præsertim, quia ipsemet Græcè locutus fuit in *Ep. ad Rom.* secutum fuisse, Hos autem, sensum dum magis respiciebant, quàm verba; non aliter reddidisse, mirum non est: Sufficit nobis Doctorem Gentium alio loco, *Sc. Gal. 6. v. 16.* id, quod hîc implicitè continetur, enucleâsse, atque idem vocabulum, quò Psalmista utitur in Hebræo, hoc loco in Græco sermone tradidisse.

VII.

Haftenus ergò demonstratum fuit ex Vet. Testam. Verbum DEI Scriptum in discutiendis Quæstionibus, quæ circa Fidem & mores versabantur, semper & unicè sustinuisse munus decidendi, cui acquiescere tenebantur, tùm Sacerdotes, tùm Reges Deut. 17. v. 11. Malach. 2. v. 17. qui Legem ex Lege interpretari debebant, ut essent quasi os legis, væ enim iis, qui Spiritum suum sequuntur, utut Prophetiæ Dono gaudeant, Ezech. 13. v. 3. Nec non populus obsequi mandatis hisce divinis obligabatur: Si itaque V. D. quatenus V. Test. voluminibus adhuc coarctabatur, & continebatur, tantò claritatis gradu ac ubertate doctrinæ divinæ non eminebat, quàm modò, cùm Filius in hunc mundum missus, & per Apostolos, canonem Vet. & Nov. Test. obsignârit, Hebr. 1. v. 1. & 2. cessantibus Re-
vela-

velationibus dogmaticis, immediatè à D E O procedentibus, Nov. Test. Scripta effulgent, quanquam Moses & Prophetæ, pro ratione temporis, quò vivebant, satis completum atque dilucidum Canonem ediderint, ut Christus Luc. 16. testatur, ubi præferuntur Lazaro in Beatitudine jam exultanti, & unicè huc Remissio fiebat, ut ut igitur, inquam, tantâ non gaudebat Ecclesia tempore umbrarum legalium, Lucis Scripturariæ claritate, quantâ hiis temporibus fruimur, interim tamen adstringebantur omnes in Religione tùm docenda, tùm addiscenda, ad hanc Normam sub severissimæ pœnæ Comminatione, quæ transgressoribus hujus mandati interminabatur. Quantò magis ad Canonem Vet. & Nov. Testam. cujus libri conjunctim nos erudiunt in quibuscunque Controv. Religionem concernentibus, alligata erit Ecclesia nostri temporis! Sed pergo ad alia; aggrediorque loca Nov. Test. quæ idem probatur, quod superius demonstrare conabar.

VIII.

Seriem istorum locorum auspicamur à Gal. 3. v. 22. quo in Testimonio S. Scripturæ adscribitur, Autoritas omnia sub peccato concludendi; Hæc verò in judiciali decisione ità fundatur ut condemnet singulos homines, tanquam reos, malo culpæ & pœnæ obnoxios, eos declarans: hoc modo, ut omnem innocentia præsumptionem ab hominibus, quippè omnes lue Adamiticâ infecti, removeat. Et quidem id asseritur etiam de D E O, sicuti legitur in Rom. 11. v. 32. Hinc concludimus: In hoc tertio utrumque convenire judicium, quòd sit aliquod infalibile, solitarium ac omni exceptione majus tribunal, illud cùm D E O, Judici totius universi; nemo deroget, quis E. audebit Scripturam, de qua paria deprædicantur Gal. 3. Decisionis judiciariæ attributa, hoc titulo privare, ut scil. verus ac unicus Judex Controv. de fide ac vita sit dicendus:

B

dus;

dus: Locus paralellus id magis elucidabit, qui extat *in Ep. ad Rom. 3. v. 19.* si ponderentur seqq. Quæcunque lex loquitur, inquit Paulus l. c. iis, qui in lege sunt, loquitur, ut omne Os obstruatur, & fiat **TOTUS** Mundus obnoxius **DEO**. Adeò Efficax est **V. D.** Scriptum, gladius ille spiritualis, *Eph. 6. v. 17.* imò penetrabilius est omni gladio ancipiti, quippe suo lumine conscientia Convictivo intima permeat, *Hebr. 4. v. 12.* Quâ ratione satis appositè vocatur *Jerem. 23. v. 26.* malleus petram conterens. Eò magis activum in tali casu, quò magis præservati fuere **Sacri** Scriptores Canonici divinitus ab **Erroribus** Doctrinae, tantoperè, ut $\pi\omega\varsigma \kappa\alpha\iota \pi$ inspiraverit **DEUS**, *Matth. 10. v. 19.* ne minimum fermenti traditionum humanarum, aut proprii commenti admisceretur, sicque frustraneum redderet, quem **DEO** exhibere debemus, cultum propter perversam viam, aut spuriam Normam, *Matth. 15. v. 9.* Tantâ curâ prospectum fuit Scripturæ Sacrae, ne ancipites hære in veritate genuinae Regulæ, quæ in rebus Dogmaticis & Practicis observetur, cogerentur ii, qui **DEO** decenti adoratione in Spiritu & veritate *Ioh. 4. v. 23.* litare volunt.

IX.

Porrò demonstratur nostra Assertio *ex Ioh. 12. v. 48.* & *Rom. 12. vers. 16.* uterque enim locus $\kappa\alpha\tau\grave{\alpha}\rho\eta\tau\acute{o}\nu$ iudicis officio defungi **V. D.** scriptum attestatur: Hinc argui solet ita: Norma Iudicii universalis, extremò die futuri, quò hominum cogitata, dicta, & facta ad Exemplar Iustitiæ Divinae examinabuntur, & decretoriè discutientur, coincidit inquam, hæc Norma, cum Norma Controv. hâc vitâ definiendarum. Atqui **V. D.** scriptum est Norma Iudicii Extremi. E. Major nititur **DEI** immutabilitate, quâ sibi ipsi contrarius esse nequit, sed eandem Iustitiæ Regulam observat, ut ideò præter Normam Extremi Iudicii, quæ conformis est Normæ hujus vitæ, alia non detur

detur

detur; Deinde probatur Propositio *ex Iob. 5. v. 45. ex quo* liquet evidenter, quòd illa ipsa Mosis doctrina, ad quam Christus ibi provocat, tanquam Conversionis Medium, per quod Spir. S. fidem operans in nobis, donatur, *v. 46. l. c. fuerit proposita; ut scrutini Dogmatici circa Christi Divinitatem fundamentum, sive principium cognoscendi: Ea verò all. c. v. 45. convincere dicitur infidelitatis exitiosæ Judæos, sicque illud V. D. quod Judæis inquirendum præcipiebatur circa nostri Redemptoris Majestatem divinam v. 39. & per consequens facem præferre debuit in hujusmodi illustribus Quæstionibus enodandis: hîc, nimirum v. 45. Judicii novissimi Mensura aut Regula constituitur, ut nil jam dicam de Objecti Realis identitate in utroque Judicio, quod non nisi ex verbo scripto cognosci nequit, Rom. 10. v. 18. 19. Minor etiam firmo stat talo, si consulantur suprâ cit. loca, quibus jungi possunt *Exod. 24. v. 3. Levit. 18. v. 4. Psal. 105. v. 1. & 119. v. 13. hisce in Oraculis Mandata Domini nostri scripta audiunt judicia divina, & quidem indefinitè ac sine ulla limitatione: ad quorum Ductum suas dirigere vias, Propheta Regius vovit Psal. 119. v. 5. Nec tacendus erit Ps. 149. v. 9. qui explicari solet de V. D. scripto, nec in hac re adducitur inappositè, cùm mentionem faciat judicii scripti, quod de S. Scriptura accipiendum esse, ex v. 7. & 8. quibuscum cohæret, constat, hi de spiritua-libus Victoriis Apostolorum, & Successorum virtute suæ prædicationis populos idololatricos convertentium, quos quasi subjugârunt, exponuntur ab interpretibus; Quemadmodum verò verbum ore tenens prolatum ab Apostolis, essentialiter non differt à scripto, ipsò Spir. S. judice, Act. 26. v. 22. Gal. 3. v. 22. Conf. *Exod. 9. v. 6. collat. cum Rom. 9. v. 17. quid vetat d. Ps. ad nostrum Negotium applicare?***

X.

Optimam autem productorum Testimoniorum sugge-

B 2

bit

rit interpretationem, tum ipsius Christi, tum Apostolorum Prae-
 xis; quæ non uno in loco, sed pluribus elucescit, dum scilicet ap-
 plicarunt Scripturam S. in variis, iisque arduis Causis: Primò ex
Matth. 4. v. 4. Luc. 4. v. 4. novimus, Salvatorem nostrum contra for-
 tissimum Antagonistam, Satanam puto, Scripturæ S. armis depu-
 gnasse, ostendendo ipsi ex S. Codice primarium Articulum de Ado-
 ratione divina, quomodo sit rectè intelligendus, & quod caput rei
 est, *v. 7.* oppositum ex S. Codice locum resolvit itidem per Scriptu-
 ram; Tanti æstimabat S. literas Jesus, ut aliis argumentis uti nol-
 let hac in Controversia: Similia reperiuntur *Matth. 22. vers. 29.*
 ubi in arduo Resurrectionis Articulo demonstrando adhibet Nor-
 mam Scripturariam, ad quam Sadducæorum opiniones, tanquam
 ad incudem veritatis cœlestis revocat, ipsosque ideò Erroris accu-
 sat, quòd ignorantia S. Scripturæ laborent. Porro *Luc. 10. v. 26. 27.*
 Legisperitum quendam à Redemptore nostro amandatum fuisse
 itidem ad hunc Canonem, legimus, & quidem in causa gravissima,
 quæ concernebat methodum vitam æternam adipiscendi, quò sanè
 id de se ipso profiteretur, quod sub aliorum nomine dixit *Joh. 5. v. 39.*
 nimirum vitam æternam ex Scripturis obtineri. Non producama
 multa de egregii illius loci *Joh. 5.* usu in adstruenda Thesi nostra,
 sufficiat jam annotare; quòd ibi Christus semetipsum, in Statu Exi-
 nanitionis existentem subjecisse dicatur S. Codici, ut dirimendarum
 Controv. Principio, aut Judici, non tantum ut compromissario, uti
 ex *v. 39.* videtur colligi posse, è τῶ putatis &c. sed ut Judici propriè
 & simpliciter tali, sic enim constat ex *v. 37.* unde colligitur Ipsum
 ad Scripturam provocare, non ideò tantum, quia à Judæis approba-
 tur Codex V. Test. sed, quia Patris sui cœlestis testimonium, quod
 notanter contradistinguitur vocis divinæ perceptioni per audi-
 tum, & symbolicæ repræsentationi suæ Majestatis, quia hoc, inquam,
 testimonium Volumen V. T. continet. Observandum erit etiam hic,
 quòd testimonium h. l. vi judicii gaudeat; ut liquet ex *v. 45.* Sed
 quicquid sit de hisce: ut pergam, juvat indicare Doctoris sui exem-
 plo Apostolos methodum ad viam salutis erudiendi accommoda-
 re voluisse: id quod patet ex *Act. 3. v. 22. c. 7. v. 2. & seqq. c. 13. v. 33.*
55. v. 14. & 15. nec non *v. 19. c. 18. v. ult. c. 26. v. 22.* ut alia, brevitatis
 studio, sileam. In his demùm subsisto, atque B. L. veniam exoro,
 spondens, brevi, (si Deus voluerit) uberiolem hujus materiæ Tra-
 ctationem, limatioremque Elaborationem me publicaturum.

SOLI DEO GLORIA!

Coll. diss. A. 207, misc. 7.